



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1658

§. 10. Iesus itaque sciens omnia quæ ventura erant super eum. v. 4.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45556

§. 10. Iesus itaque sciens omnia quæ ventura erant super eum. v. 4.

Iesus sapientia Patris, cui omnia parent ab æterno, cui omnia nuda, nil absconditum, nihil tam altum est aut profundum, quod ipse non penetraret, tam de futuro quam in presenti, cognoscens perfectissime quod est, quod fuit, quod erit & quod esse potest, etiam occultissima cordium, lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, sol illuminans res omnes, quo cessante offunderentur omnia tenebris, nec res cognosceretur momentum aut pulchritudo; cognoscens quæ ventura erant super eum in ipso hoc quasi momento, quomodo Iudas iam adesset extra portas Hierosolymitanas & progredederetur cum milite suo ad hortum, in quo ipse deprecabatur Patrem, iuxta naturam humanam anxius & pro angustia captivitatis imminenti, pavens ante, post orationem fervens astitisse nobis à S. Ioanne depingitur non temeritate aliqua orta ex ignorantia periculorum imminentiū per insidias & dolos, uti nobis fieri solet, sed per scientiam beatificam clarus videntque futura.

O Splendor lucis æternæ quam tunc decorus & pulcher stabas in stola tua? sed tenebræ te non comorehendebant, ideo laternas & faces accendebant, ut viderent te lux illuminans omnia, non erant hi Diogeniani, sed potius similes isti ebrio, qui in meridie per laternam domam obstupescente populo, ducebatur & præeuntem sequebatur, ut ebrii solent, non videns cæli luminare coruscare.

§. 11. Proceffit. v. 4.

Confortatus Iesus ab Angelo non modo constantissime locutus est, sed promptissimo stetit animo hostiles manus expectans: tantum enim abest ut instar hominis meticolosi, vel trepidaverit, vel aufugerit, ut & inimicis obviam processerit. Tantum enim animi robur ab Angelica consolatione sumplerat adversus passionis procellam, ut nullum vel pavoris, vel tardij signum habuerit. Contra quoniam discipulos prospiciebat factos animo imbecilles, eos utcunque stimulavit secum obviam ire, factis declarans mortis horrorem non esse illis metuendum, qui cum Domino stant. Et cum sciret Christus Dei Patris voluntatem esse, ut pro nobis redimendis moreretur, & quod hora passionis instaret veniensibus inimicis prudentissime occurrit, ut nos etiam redderet catos, quoties Deus aliquot nobis afflictiones immittit, oportere quod eas patienter sufferamus, & non maxime quando alia via, quam impietate, eas effugere vel à nobis depellere non valemus.

O Betæ